



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

27. An Episcopus possit validè conferre Ordinem, quem non suscepit? Et deducitur simplicem Sacerdotem posse quidem ex commissione Pontificis conferre aliquos Ordines, dummodo illos, quos confert, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

*Et an saltem in practico casu possit Episcopus conferre Tonsuram?*

*Et quid, si suspendatur à collatione certi Ordinis? Et cursum docetur, quod Episcopus suspensus ab officio confirmandi, non ideo suspensus censetur ab officio ordinandi, & consecrandi?*

*Etiamsque notatur, quod quando quis suspenditur ab administratione Sacramentorum, non suspenditur à celebratione Missæ? Ex part. 5. tr. 10. Ref. 6.*

1. **N**egativam sententiam docet Henriquez lib. 13. cap. 32. n. 2. Sayrus lib. 4. cap. 4. n. 19. Hugolinus tab. 4. cap. 6. §. 6. n. 3. & Avila p. 3. disp. 2. dub. 2. conclus. 11. Toletus lib. 1. c. 43. n. 5.

2. Sed ego contrarie sententiæ adhaereo, quam tuetur Coninck de Sacrament. disp. 13. dub. 2. num. 10. Layman lib. 1. tr. stat. 5. part. 3. cap. 1. num. 6. Suarez disp. 26. sect. 4. num. 11. & 14. & Ioannes Præpositus in 3. part. quæst. 3. de suspens. dub. 2. num. 18. vbi sic ait: Si Episcopus suspendatur à collatione Ordinum, non potest etiam minores conferre, potest tamen conferre Tonsuram, quia non est Ordo: si suspendatur à collatione certi Ordinis, videtur posse alios Ordines conferre, quamvis digniores, quia collatio Ordinum est functio eiusdem potestatis, non verò vltus potestatis sublimioris, & proinde conferendo maiorem Ordinem, à quo non est suspensus, non censetur vti Ordine sublimiori, sed solum exercere functionem sui Ordinis, quæ illi non est interdicta, patet in simili in eo, qui suspensus ab audiendis confessionibus, communi iudicio potest celebrare, cum tamen ad sit maius munus. Hæc Coninck. Hinc inferitur cum Layman loco citato quod Episcopus suspensus ab officio confirmandi, non ideo suspensus censetur ab officio consecrandi & ordinandi, quamvis hæc maiora sint, sed non connexa.

3. Nota etiam hic cum Præposito, quando quis suspenditur ab administratione Sacramentorum, non suspenditur à celebratione Missæ, quia celebratio Missæ non solet comprehendi sub administratione Sacramentorum.

### RESOL. XXVI.

*An interdictus à sacro faciendis possit Ordines conferre?*

*Et an in dicto casu non solum minores conferre possit Episcopus, sed etiam alio celebrante possit maiores Ordines conferre? Ex part. 5. tract. 10. Ref. 87. alias 86.*

§. 1. **P**osse conferre minores constat eo quod non necessariò conferantur in sacro. Henriquez lib. 13. cap. 43. num. 1. censet non posse conferre maiores, qui extra Missam conferri non possunt; sed omnino verius est posse conferre alio celebrante, quia non est necesse ut ordinans Sacrum faciat, & ita docet Ioan. Præpos. in 3. part. quæst. 4. de interd. dub. 3. num. 25.

### RESOL. XXVII.

*An Episcopus possit valide conferre Ordinem, quem non suscepit?*

*Et deducitur simplicem Sacerdotem posse quidem ex commissione Pontificis conferre aliquos Ordines, dummodo illos, quos conferre, habeat?*

*Et docetur, quod ille, qui recipit Ordinem Sacerdotalem sine reliquis, verè est Sacerdos; potestque exer-*

*cere munera Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, &c. Ex part. 8. tr. 2. Ref. 4.*

§. 1. **H**anc difficultatem late discutit Indignus Theologus Societatis Iesu Iacobus Grenadus in 3. part. controvers. 9. tract. 2. disp. 1. num. 2. quia Codex rarus est, ponam omnia hic per extensum, quæ ipse afferit; itaque sic ait. Superest difficultas, an scilicet Episcopus conferre possit Ordinem, quem non habet; constat enim ex dictis in tractatu præcedenti, accidere posse, aliquem ordinari Sacerdotem, & consequenter Episcopum, qui non receperit minores Ordines, aut certe Subdiaconatum, vel Diaconatum: & ideo quaeritur, an præfatus Episcopus conferre aliis possit illum Ordinem, quem forte non receperit.

2. Partem negantem amplecti videtur communis sententia Doctorum. Ita enim expressè docet Gabriel Antonius 3. p. tit. 14. c. 16. §. 17. Allenis 3. p. lib. 4. tit. 4. art. 3. colum. 2. Syluester cum Raynerio de 2. 9. 1. Summa Pisana verb. Ordinum, 2. in fine, dicens ita sentire ferè omnes. Henriquez lib. de Ordine, 3. §. 2. litera. H, addens hæc esse communem sententiam. Emmanuel Sæ verb. Ordo, n. 23. & quoniam Angelus Ordo 2. absolutè affirmet, omnes Ordines conferri posse ab Episcopo, non addit expressè, id esse verum, etiam si aliquem Ordinem non receperit imò in n. 2. addit cum Innocentio, si, licet Sacerdotem posse quidem ex commissione Summi Pontificis conferre aliquos Ordines sacros, dummodo illos, quos conferre habeat. Denique cum diligenter in aliis Doctoribus hanc difficultatem investigaverim, nullum inveni, qui affirmet, posse ab Episcopo conferri Ordinem, quem non receperit.

3. Nituntur perique ex citatis authoribus auctoritate canon. gloss. 9. 1. & Summa Pisana afferre, cum Daiberum, 1. quæst. 7. quibus addit Henriquez, rationem, & Episcopi non conferunt eminenter Ordines inferiores, ac proinde Episcopus, qui eos non habet, nulli conferre potest.

4. Sed profectò nullum affectur ab his authoribus infirmum fundamentum. Nam in primis in omni gratia, solum invehitur Leo Papa in simoniacis, his verbis: Gratiam, quæ maxime in Ecclesiasticis Ordinibus operatur, non accipiunt; si autem non accipiunt, non habent; si autem non habent, nec gratis, nec non gratis cuiquam dare possunt. Quod ergo dant, profectò quod habent. Quid habent, prout esse sermonem de Episcopo, qui conferat Ordinem, quem non habet, sed solum dicitur, simoniacum non accipere gratiam in sui ordinatione, quia peccat lethaliter Ordinem suscipiendo in statu peccati, & similiter cum ipse alios ordinat, non conferre gratiam, quia peccat mortaliter, qui Sacramentum ab illo suscipit, nisi in aliquibus casibus excusetur. Quod autem attinet ad veritatem Sacramenti, nec verbum quidem habetur in hoc canone, & aliunde certum est, simoniacum posse validè ordinari, & ordinare, si ritus Ecclesiæ servetur.

5. Deinde can. Daiberum, vi declarat glossæ de textu suadet, proponit solum hanc causam, ferè nimirum Nezelon ordinatus Episcopus ab heretico præter formam Ecclesiæ, qui proinde verus Episcopus non erat; unde cum Daiberto consultisset Diaconatum, iussit Vibanus II. Daiberum iterum ordinari Diaconum; quia Nezelon qui nihil habuit, nihil dare potuit. Ex quibus patet nullam nec veritabile principium delatum posse ad asserendum, verum Episcopum, qui non receperit Diaconatum, non posse illum conferre.

6. Denique

6. Denique ratio, quam Henriquez affert, potius confirmat contrarium: nam Ordo sacerdotalis continet quasi eminenter Ordines inferiores, tam sacros, quam non sacros; ergo eo ipso quod quis sit Sacerdos, & Episcopus, potest reliquos Ordines conferre. Antecedens patet, tum autoritate S. Thomæ *quæst. 35. art. 5.* tum præsertim ratione, quia ille qui recipit Ordinem sacerdotalem sine reliquis, vere est Sacerdos, potestque exercere munera Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, &c. vt omnes sine dissensu docent: ergo in potestate sacerdotali continentur potestates inferiorum Ordinum; ergo non est necessarium ab Episcopo fuisse receptum Diaconatum, v. g. vt illum conferre valide possit. Confirmatur efficaciter, quia Episcopus, qui non receperit Ordines inferiores; potest ordinare Sacerdotes, ergo etiam Diaconos, Subdiaconos, & reliquos inferiores ministros. Antecedens concedunt DD. quia Episcopus est vere Sacerdos, & consequenter potest aliis conferre Ordinem sacerdotalem, cum nullus auferat ab eo potestatem valide conferendi Ordinem; quam habet. Consequentiam probat, quia eo ipso, quod ordinat Sacerdotes, confert illis potestatem exercendi munera Diaconi, & Subdiaconi, &c. cum omnia Sacerdos hæc munera obire possit; ergo potest etiam conferre Ordinem Diaconi, & Subdiaconi, &c. Patet consequentia, quia quicquid potestatis formaliter est in his Ordinibus, est eminentiori modo in Sacerdotio, ac proinde non est cur restringatur prædicta potestas Episcoporum ad solum Sacerdotium conferendum in prædicto casu. Confirmatur iterum, quia potestas conferendi omnes Ordines, tribuitur Episcopo ratione characteris Episcopalis: sed etiam si non receperit Ordines inferiores, vere habet characterem Episcopalem; ergo habet potestatem omnes Ordines conferendi.

7. Responderi potest ad hæc rationem, in Sacerdotio esse quidem virtualiter, & veluti eminenter Ordines inferiores, & idem Episcopum, eo ipso quod Sacerdos sit, posse illos Ordines conferre eminenter, id est, conferendo dignitatem sacerdotalem; non tamen posse conferre illos formaliter: quia ad id non sufficit character Episcopalis, sed requiritur saltem, vt conditio, quod inferiores ordines receperit: certumque est posse ab aliquo conferri aliquid, in quo continentur alia eminenter, aut virtualiter, quamvis non possint conferri ea, quæ virtualiter continentur. Sic enim sol, verbi gratia, potest immediatè producere lucem, & non potest immediatè efficere calorem, qui in luce eminenter continetur: homo potest producere hominem, & non potest producere alia corpora, quæ eminenti quadam ratione sunt in homine: & Cardinales eligere possunt summum Pontificem, non tamen Episcopos inferiores, aut Magistratus sæculares. Ita ergo Episcopus potest conferre Ordinem sacerdotalem, quin formaliter conferre possit Ordines inferiores.

8. Fateor quidem hæc solutione satisfieri argumento proposito, si aliunde esset sufficiens fundamentum asserendi, non posse Episcopum conferre Ordinem, quem non receperit: absolute non audeo negare communem opinionem carete fundamento; quia licet iura, quæ afferuntur, non vigeant, vrger authoritas Doctorum, à quo recedendum non est sine vrgentissima ratione, quæ hic non inuenitur; & ideo suppono vt probabile satis, non posse valide conferri ab Episcopo Ordinem, quem non habet. Si tamen contrarium docuissent boni Authores, mihi certè illorum sententia non displiceret, quam tamen modò non sequor. Hucusque Granadus.

9. Ex quibus vltimis verbis amice (Lector)

vidisti ipsum in hac quaestione affirmatiuam sententiam non tenuisse, quia boni Authores illam non docuerunt, quos tamen ipse non legit; quia plures post ipsum scripserunt. Vnde scias hæc sententiam docuisse præstantissimos nostræ ætatis Theologos, Valquez in 3. p. tom. 3. disp. 243. c. 2. n. 26. vbi sic ait: Hinc rectè sequitur, Episcopum, etiam si careat aliquibus Ordinibus, verè eos conferre posse, nempe si careat minoribus Ordinibus, & subdiaconatu, & Diaconatu; quia licet his careat, esse potest verus Sacerdos, & Episcopus ipsa, vt præmissimus; potest autem conferri Ordines est solum Episcopalis, alij autem Ordines hæc potestatem non tribuunt. Ita Valquez, cui adde Layman *lib. 5. tr. 9. c. 9. n. 8.* Hurtadum *de Sacramento Ordin. diff. 17.* Præpositum in 3. p. de Sac. Ordin. q. vnic. dub. 12. n. 114. Opatouium *de Sac. tr. de Ordine, disp. 5. n. 8.* & alios.

10. Dico igitur potestatem ordinariam ordinandi esse apud Episcopum consecratum, & ipsi conueniunt tantum ratione Ordinis Episcopalis, non ratione aliorum: & consequenter Episcopum, quamuis carentem Ordinibus Diaconi, & reliquis inferioribus (vt fieri potest); quia isti non necessariò præsupponuntur ad valore ordinationis in Episcopum, sicut præsupponitur Ordo sacerdotalis, posse valide conferre, non solum eos, quos ipse habet (in quo Doctores conueniunt), sed etiam eos, quibus caret. Eos tamen, quibus caret, nequit licet conferre, quia qui caret inferioribus Ordinibus, prohibitus est in Ordine superiori ministrare.

11. Itaque ex dictis in superioribus resolutionibus patet, ordinarium Ministrum sacramenti Ordinis esse Episcopum consecratum.

### RESOL. XXVIII.

*An Episcopus Titularis licite possit conferre Ordines? Et an Episcopus Titularis non possit familiarem suam, seu commensalem Ordinare sine licentia sui Episcopi, quamvis cum illo per triennium commorauerit? Et an in tali casu Ordo teneat, si illam talis Episcopus ordinarij, quamvis puniatur arbitrio sui Ordinarij, & Episcopus Titularis, qui eum Ordinarij suo commendauit sui Episcopi à Pontificali suspendatur per annum? Ex part. 2. tra. 2. Res. 5.*

§. 1. **R**espondeo, quod facultas conferendi Tonsum, vel alios Ordines, data Episcopis, tantum procedit in illis Episcopis qui habent Diocesim, non in aliis, qui non habent Diocesim: quia non possunt ministrare Ordines, nec etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatæ suæ, absque proptij Prælati expresso consensu, aut literis dimissorijs ad aliquos sacros Ordines, aut minores, vel ad primam Tonsum promovere, seu ordinare valeant, vt cauetur in Concilio Tridentino *sess. 14. de reformat. cap. 2.* vbi habetur in hæc verba formalia, quæ sequuntur,

2. Et quoniam nonnulli Episcopi Ecclesiarum, quæ in partibus infidelium consistunt, Clero carentes, & populo Christiano, cum ferè vagabandi sint, & permanentem sedem non habeant, non quæ IESU CHRISTI, sed alienas oues, in scio proprio Pastore quærentes, dum per hæc Synodum sanctam & Pontificalia iura in alterius Diocesi, nisi de loci Ordinarij expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiecta tantum exercere prohibitos vident, in legis fraudem, & contemptum, quasi Episcopalem cathedram in loco nullius Diocesis suæ temeritate eligunt, & quoscumque ad se venientes